DE LAVDIBVS
GREGORII XIII.
PONT. OPT. MAX.
ORATIO
CAESARIS LAVRENTII
E SOCIETATE IESV
AB EODEM HABITA
.IN AVLA COLLEGII ROMANI
in annuis eiusdem Pontificis parentalibus.



VRBEVETERI,
Ex Typographia Bartholomæi Zannetti. M.DC.XX.

SVPERIORVM FACVLTATE.

ILLVSTRISSIMO D.

D. IO. BAPTISTAE SAMPERIO

PRO BONONIA CIVITATE

APVD

PAVLVM V.

PONT. OPT. MAX.

ORATORI

AZO ARIOSTVS BONONIENSIS
Seminarij Romani Conuictor Sobrino Optimo
Felicitatem.



DFVISTI (ORATOR ILLVSTRISSIME) annuis GREGORII Tertij decimi parentalibus, quæ in Aula Collegij Romani principe Societas IESV persoluit. Cumq. habitam, nomine vniuersæ Societatis orationem, luce dignam censor optimus iudicares, ansam, Tibi eam inscribendi, vel præter opi-

nionem ipſe tuam præbuiſti. Accedente præſertim MAPHAEI BARBERINI viri, vt purpura, ita eruditione clariſſimi teſtimonio, cui probata plurimum oratio, nullius conſpectum reformidare poſſit. Neque difficile fuit, cauſam, quare à me Tibi deberetur inuenire: Cum tu GREGORIO, ego eidem per te ſanguinis affinitate coniuncti ſimus. Et non ingratum, vt puto, Patribus Societatis facio, qui cum ſe plurimum debere GREGORIO fateantur, BONONIAE, vnde tantum, ac talem accepere Pontificem gratificari ſtudent, dum Tibi, qui eius Ciuitatis faciem refers, memoris animi elucubrationes offeruntur, in quibus parentis optimi nomen conſequentium ſeculorum grata poſteritas legat. Vale.

ORATIO.



VI virorum Principum facta exornare dicendo conati sunt, CARDINALES ILLVSTRISSIMI, nec rarò, nec falsò grauem susceptæ laudationis Prouinciam causati, tam difficile esse, in ea perseueranter insistere, quàm facile fuerat eandem subijsse, querebantur. Cum enim in viro Principe exaggeratæ summa virtutis facultatem superet Oratoris, haud dubie, de medio laudum curriculo deflectet oratio, ingenio, materiæ debito destituta. Sanè Iulio Cæsari dixit Tullius, Traiano Plinius; vt interim omittam Mamertinum, qui Maximiano; Eumenium, qui Constantino; Ausonium, qui Gratiano; Pacatum, qui Theodosio panegyricos, & gratias adornarunt. Verum quot, & quanti erant eo tempore oratores, in ipsis plane initijs, fatebantur, innumerabilia Principis decora compendio includi, cogiq: non posse, quæ si quis voluisset amplecti dicendo, secula optare debuerat, hoc est, eam ætatem, quam, qui laudabatur, viuere mereretur. Atque si hoc, illi de Principe qualiscumq. tandem is fuerat, sentiebant, quid ego de Pontifice, eoquè, & Maximo, & Optimo existimem, qui tantum virtute Principes reliquos antecedit, quantum à priuatis hominibus, Principes separantur? Nimirum diuini illa est hominis excellentia, cuius animus, vt singularum virtutum, mediocritate planè aurea, temperatur, ita contrariarum, & inter se pugnantium affectionum societate perficitur. Hæc autem (quantum interpretor) animi moderatio, supra cæteros gentium Dominos, Pontificem ornat tanto consensu decorum reliquorum, nihil vt maiestati demissione, nihil magnificentiæ parsimonia, nihil seueritati remissione, nihil beneuolentiæ acerbitate, nihil obiurgationi lenitudine, nihil acrimonię comitate, nihil hilaritati tristitia, nihil festinationi tarditate, nihil simplicitati prudentia detrahatur; sed laudes vniuersæ, ducto quasi choro, implexis inter se manibus, insignis administræ, comitesque præstantiæ perpetuo conueniant. Quæ virtutum ornamenta variarum, dum breui excussione persequor in præsentia, reputate vobis cum ipsi, Auditores, me Pontificis Optimi, maximiq. imaginem, hoc est GREGORIVM Tertium decimum oratione conformare. Extabit opinor, eminebitq. splendidior tanti Pontificis gloria è quadam sibi distinctæ, contrariæque commendationis conuenientia, quàm si solitaria poneretur. Ita igitur hodierna, & vestra hac luce, per summa Ciuilis capita regiminis incedam, vt dum Pontifici debita ornamenta virtutum paulò attentius inquiro, GREGORIVM ante oculos ponam: exquo fiat, vt digna scitu, nec auditu iniucunda dicturus, qui cum labore aliquo scripsi, sine magno labore possit audiri.

Agite igitur, & primo cum sapientibus rerum ciuilium æstimatoribus magnificentiam Principi tribuamus, quam ita facimus Pontifici propriã, nihil vt intentatum in eo genere laudis ornatissimæ sit relinquendum.

Atqui inanis est in Pontifice huiuſcemodi nominis altitudo, niſi affinem habeat magnificentia parſimoniam. Videte per veſtram fidem, è loco quam diſpare, quam compar virtus in Pontifice commendetur. Ita eſt. Magnificus ergo ſit Pontifex, atque ea liberalitatis amplitudine, quæ Pontificio Imperio, hoc eſt nullis terrarum finibus terminetur. Huic tamen magnificentiæ parcitas eſt adiungenda. Nempe eorum Pontifex bonorum à Deo hæres inſtituitur, quorum diſpenſationem ſuſcipit, & patrocinium; Petri veſtigia ſequuturus, quem Chriſtus ipſe Pontifex immortalis ad regalem romani ſacerdotij Principatum admouit, communicatæ quidem poteſtatis copia locupletem, ſed in tanta fortunarum inopia laborantem, vt vitam quotidiana ſcilicet opera, & induſtria toleraret. Atque in hac gemina virtute Pontificiæ cardo vertitur excellentiæ. Cuius in vtramque partem, quantum GREGORII virtus effulſerit, dicerem ſanè copioſius, niſi cogerer in primo ſtatim veſtibulo, adituque orationem quaſi manu repręhendere. ſiquidē tritum eſt (inquiunt aliqui) hoc laudationis genus, & apud Gregorianos oratores peruagatum, GREGORII magnificentiam celebrare, in rerum excelſarum propoſitione, in munerum apparatione popularium, in quotidiana pecuniæ largitione, in regijs ædificijs excitandis, in vijs intra, extraque Vrbes aperiendis, in Vrbibus eleganter exornandis, in annonæ ſubſidijs prouidendis, in fontibus ſalubriter corriuandis in egenorum cauſis aut fulciendis, aut iam collapſis alleuandis, vbique conſtantiſſimè promouendis: Quæ omnia, aliaque id generis ſexcenta, vt magna, vt ſpecioſa, vt admiranda, in ſummis, medijs, infimiſque ordinibus, in Ciuibus, in externis, in domeſticis, alieniſq. alto rerum cumulo, animo vigenti, atq. conſtanti; vulgaria tamen in GREGORIO indicantur. Dumque Auditor inaudita cupidus, ac noua ſitienter expectat eadem toties, quamquam ſplendide repetita eruditorum aures limatæ, ac teretes faſtidioſius auerſantur. Equidem hoc ego monitu ita ducor in preſentia, vt non putem, idcircò prætereunda GREGORII in hominum genus planè vniuerſum beneficia, quia propter commemorationis frequentiam neminem fugiant. An non decet beneficia quotidiana cum ſint, eorum quoque memoriam æqualem, ac prope quotidianam eſſe? Non enim eius ſunt notæ GREGORII merita, quæ cum ipſo moriente deſierint, ſed quorum fructus perpetuò maneat, immò in dies creſcat vberius. Ita planè perſuadet mirificus in GREGORIVM non ſenſus modo, ſed cenſus etiam populorum, quos numero duos ſupra vicenos Collegijs locupletauit ingentibus, multò vtique glorioſius, quam olim Rex ille potētiſſimus Mithridates, qui populos viginti duos ſuis ſingulos Accademijs, diſputantes omnium peritus linguarum excipiebat. Neque verò eam ob cauſam GREGORII magnificentiam curſim attingendam arbitror, quod apud oratores vſitata iam pridem ac perfamiliaris ſit, ſed quia quantum ad me attinet, ita penè obruor facinorum exuberantia maximorum, vt ad pauca feſtinans, quæ non perinde nota omnibus ſepoſui, reliqua breui potius indicanda exiſtimem, quàm fuſius exprimenda: quod vnicum eſt in operoſiſſima rerum dicendarum mole vel remedium, vel alleuamentū.

Vnum tamen excipite in hoc genere memorabile, ex quo, & fiat de reliquis, quæ prætereo coniectura, & hinc interim intelligatur, quibus artibus GREGORIVS sibi ad honores viam aperuerit, nempe ijs, quas homines callidi ad regnandum ineptas, & plane præposteras existimare, ac deridere solent. Attinebatur in Ælia mole post suorum calamitatem Cardinalis Neapolitanus, cui pereunte fortuna, vt fit, amicorum quoq. subsidia periere. Angebatur animi Vgo Boncompagnus, quod ad eximendum amicum è custodia pecuniariam opem postulari subodoratus, videret, haud promptos esse eos, quibus iuuandi facultas abundè suppetebat, se verò, qui prompto, ac locuplete animo esset, tenui nimium fortuna retardari. Non desistebat tamen, si qua posset via ferre suppetias indigenti. Et quamuis non deessent, qui hominem admonerent desineret eorum fauere causæ, quibus Pontificem iratum sciret; alioqui nihil esse proprius, quàm vt difficili, & periculoso tempore sibi, & suis officeret; non idcircò hæc illum terricula de ea mentis excelsitate deiecerunt. Audite iam, & facinoris, quod affero, momenta pendITOTE. Vnicum, quo fruebatur Secretariatus Apostolici munus, sex aureorum millibus oppignorat, pecuniam sponte offert, inops amici indigentiam leuat. Non potui paucioribus plura complecti nam quid hic ego admirer Auditores, charitatē ne animi excelsissimi, qui supra fortunam suam emineret adeo, vt persona, quam Romæ cum splēdore aliquo sustinebat, se se libenter exueret, vt amicum tegeret? An virtutem grati hominis singularem, qui cum à Paulo IV. designatus ad purpuram non admotus ob eius obitum fuisset, ita se deuinctum Carafensi familiæ ob beneuolū tantūmodo animum Principis agnouit, vt illius voluntatem benefaciendi, benefactis opportunitate maximis, alacritate summis, efficacitate amplissimis compensaret: An potius æqui rectique amorem incredibilem, quod cum videret, idque audiret à multis posse se in odium Pontificis incurrere, sibique certò præcludi ad honores viam, si factionis infensæ amicitiam præseferret; nihilo tamen minus præ illa, qua se ad strictum meminerat grati animi obligatione, sermones hominum, inceptos honores, spem ipsam, qua nihil serius mortales exuunt, inter ipsamet gratiæ primordia singulari magnimitate contempserit. O ingentem excelsissimæ virtutis vim, ò Pontificiæ magnificentiæ semen, immo, o dignam, & magno quidem Pontifice charitatem. Et verò sequutis postea temporibus, nonnulli cum primis vltima conferentes affirmarunt: Boncompagnum ex hac liberalitatis magnitudine, à Deo, qui, suis quæque momentis expendit, Pontificij honoris præmium retulisse. Venerat ijs in mentem, opinor, magni illius GREGORII nondum ad Pontificatum euecti, à quo cùm quidam, vti videbatur naufragus denarium semel, atque iterum, ac sæpius reportasset, nec vllum faceret poscendi finem, & sanctissimus interim Pontifex, quod præterea tribueret, non haberet argenteam pateram, quæ reliqua domi erat, elargitus est. Quo quidem ex facto, vel vnico, non sine numinis afflatu veterū grauiores, pronunciarunt, GREGORIVM Apostolici Principatus honorem diuinitus accepisse. Ita prorsus in Vgone contigisse, simillimum vero putandum est: quem tu GREGORII

 non

non magis appellatione magne,quam factis iam pridem ita clarum habebas, ita tuis similem moribus conformabas, vt eum, die.tibi sacra redeunte, Purpuratos inter Patres adscriptum, & postea Pontificem tibi cognominem Roma salutauerit. Sed videte, obsecro vos, Auditores, quàm sæpe fallax sit hominum sapientia, seu potius,quæ sapientiam imitatur, quàm politica, tam versuta calliditas. Pius ille Pontifex, quem offensum Vgoni suspicabantur ij, qui susceptam eo tempore tutelam obiectabant: Ille, summa Vgonem beneuolentia complexus purpura decorauit. Tanta virtutis vis est, vt dum non ita studiosis pro miraculo est,omnium sibi amorem,fauoremq. conciliet. Nam cum Pontifex rem, vti euenerat, audisset, reputaretque secum facinus hominis humano fastigio celsius: quod rerum omnium contemptor: quod non rogatus: quod sponte: quod in tempore: quod omnia dederit amico, eique egenti; quod etiam cum tanto sui benemerentis dispendio, spem ipsam, qua Roma pascitur, amici compendio posthabuerit; Continuò accitum ad se hominem, non modo seueriore supercilio non accepit,sed pectus animæ magnæ plenum demiratus, semel, atque iterum amplexans honorificis primum verbis collaudauit, mox etiam muneribus auxit amplissimis, Concilij Tridentini patribus adiunxit, Carolo Cardinali Borromeo sororis filio,quem ad aras rite nunc colimus,consiliarium attribuit, Vaticana demum purpura cum pręclaro virtutum eius elogio insigniuit, Vt hinc demum quod dicebam intelligas, quàm irritus eorum sit conatus, quamq. præpostera sapientia, qui ne rebus suis incommodent, de amicorum commodis non laborant,sibique duntaxat vnis viuunt ingrati. Atque si hæc, cum adhuc inter priuatos agebat Vgo,tenui cum censu, non sine metu amittendæ, certè sine spe amplificandæ gratiæ: quid, vbi Pontificio potitus Imperio,extra spem,ac metum fortunæ bonis omnibus abundabat, eique plane integrum erat, tantum erogare, quantū animo luberet suo, hoc est, quantum largissimis sumptibus par esse posset. Fama est constantissima, nullam omnino GREGORIO diem abijsse, non aliquo liberalitatis vestigio memorabilem. Regibus, & Dynastis religionis causa pecuniarijs subsidijs, quàm sæpe præsto fuerit, Vaticanę tabulę exaggeratæ summa pecuniæ refertissimæ proloquuntur. Et si de plurimis sumptuoso opere perfectis, ea solum, quæ in egenos contulit, relegantur testatur Roma, quæ in aula Capitolij Principe erecta GREGORIO statua causam inter cætęra supponit.

OB
SINGVLARI BENEFICENTIA
IN EGENOS DISTRIBVTVM
SEXTERTIVM OCTINGENTIES.

Ac si vicies centena aureorum millia numerentur, & tamen multo adhuc plura animo ille suo complectebatur, dolebatque sibi ad inopiam propemodum redacto, nihil ferè amplius superesse,quod pauperibus, vt vocabat, suis, donaret. Neque in hac profusissimæ liberalitatis laude, verendum est, ne quis GREGORIVM adnumeret inter eos, qui quasi pecuniæ subirascantur suæ, ita effundunt omnia, vt non donent,sed proij-

ciant, perinde quasi nō tam beneficiū conferre sciant, quàm nesciant sua retinere. Etenim licet adeo magnificus esset, ac splendidus, vt inter Superiores Pontifices, liberalitatis nota, honorificentissime distinguatur, adeo tamen in delectu præcauebat, adeo in rebus domesticis, & secum rationem aliam inibat, vt si quis GREGORII parcitatem circumspiciat, & magnificentiam eius memoria non recolat, facile adducatur, vt dubitet restrictus plus æquo num fuerit, & tenax sui. Neque ego hoc loco, dicerem GREGORIVM adhuc Pontificem laceras vestes cubiculario sarciē das commisisse, quæ consequenti hyemi prodesse possent: Non dicerem senis è lignis foco impositis vnum, atque alterum, sua Pontificem manu subduxisse; Non (inquam) hæc dicerem, nisi, vt summæ magnificentiæ adiunctam parsimoniam fuisse demonstrarem. Quæ duo miraculo proxima in Pontifice iuncta requirebam. Et ille quidem Romanus Princeps, quem delicias suas Pop. Rom. appellauit; Quo beneficium, aiebat, in neminem contuli, diem perdidi. Videte liberalitatem Principis indefessam. At idem in concionibus nundinari, & lucrari præmia solitus est. Videte eiusdem in suæ redintegratione pecuniæ parsimoniam. Quanto laudabilius, excellentiusq. GREGORIVS, qui quo die attente, atq. frugaliter rei vestiariæ, & semiustulatis parcebat lignis, eo ipso die quindecim nummorum millia pauperibus erogauit. Verumque GREGORII virtutem in Cælum extollit, hoc est pulcherrimam, præstantissimamque naturam, intra quædam oppositæ laudis confinia, se se integrè, fortiterque continentem. Hanc porrò virtutem, de qua breuiter initio pollicitus eram, me dicturum, quia aliquanto liberius persecutus sum, efficiam, vt in ijs, quæ supersunt plus vobis ad intelligendum, quàm mihi ad dicendum relinquatur. Quamobrem silentio prætermitto par illud virtutum magnificentiæ, & parsimoniæ non impar, maiestatem, ac demissionem. Cum tamen maiestas adeo locum habeat inter Pontificis laudes, vt quando ille auctor publicæ religionis vicariam operam præbet Deo, sicuti nulla vis præpotenti numine maior esse potest: ita secundū Deum nulla præter Pontificem amplitudo desideretur. Animi verò demissio, ita Pontifici esse curæ debet, vt ab salutis magistro, cui succedit splendidissimæ disciplinæ indolem haurire videatur. Et in hac quoque duplicis contentione virtutis in GREGORIO benè partę laudis gloria geminatur: In quo firmitas (vt in suo Augusto laudauit Plinius) & proceritas corporis, honor capitis, dignitas oris, ad illud vsque ætatis indeflexa maturitas, plena maiestatis, atque suauitudinis ornamenta, ea fuerant, quorum aspectu delectatus, admiratusque Ferrariensium olim dux, satis ostensum dixit in GREGORIO, quantum interesset inter Principem, quem fecissent homines, eumquè, in quem sors diuinitus cecidisset. Ecquis regnante GREGORIO splendor comitatus, quis aulæ decor, & species, quę quantaque virtutis omnis sidera Romano in Cælo iuncta Gregoriano Draconi, reciprocato lumine, præfulgebant. Certe purpuratorum consessus patrum, qui vnus instar omnium esse solet, non modo eo tempore Dynastarum, & Principum, sed etiam Cæsarum sanguine purpurascens quæ nobilitatis, quæ litterarum, quæ religionis iam tunc semina comprehen-

præhenderet, palam fecerunt postea è Gregoriano numero quatuor ad Pontificatum admoti, digni vero, qui admouerentur oppidò plurimi. Hanc ille maiestatem, quanta demissione temperabat, qui in vberrima conuenientis gloriæ segete ab omni fastu, imperiosisque moribus alienus, quo beneficentior erat in plurimos, eosque nobiles, ac verecundos pauperes, eo sæpe studiosius humanæ laudis contemptor egregius occultabat se se: In hac diuinæ dissimulatione virtutis Nili fluminis ingenium referens, cuius stagnantibus aquis fructus elicitur: Caput verò vnde nam deriuetur, deprehendi, notarique non potest. Cuius virtutis caput, licet ob temporis angustias, ego quoque silentio cogar abscondere, pauca tamen si liceret, afferrem de seueritate, atque clementia, geminis quoque virtutibus, quæ in Pontifice cum maiestate, & demissione, mirum quàm apposité congruunt. Nam seuerus sit oportet Pontifex, quem penes sacrosanctæ legis vltorē Ecclesiasticæ præfecturæ custodia vigeat, aduersus superstitionis incendia, religionis naufragia, æterna animorum damna inexpugnabilis, ac metuenda. Mitis deinde, & clemens, cuius seueritas (vt imperatum est) non septies modo, verum septuagies etiam septies indulgentia condiatur. Et hic etiam in GREGORIO ab vno, eodemque quasi partu gemella virtus elucet. Mentiar, nisi singularis illa seueritas censenda sit, cum grauissimo Germaniæ tempore, Truxesium Archiepiscopum Coloniensem à vera religione desciscētem GREGORIVS celeritate mirabili, auctoritate Pontificia Episcopatu mouit primum, mox etiam incitato milite fortiter fudit, vsque eo, dum Ernestus Bauarus Coloniensis Ecclesiæ voto sufficeretur. Quæ res quanti ponderis fuerit, & momenti, non est huius loci pluribus inuestigare, satis intelliget, qui viderit, ad Christianæ religionis incolumitatem, quanti faciat in designatione Romanorum Regis, atque in ipsa Imperatoris Augustissimi creatione eos potiri suffragij iure, quibus vera religio curæ sit. Ac si Diuinæ prouidentiæ beneficio, nostro hoc æuo, inter septem viros Principes, Catholici non impares hæreticis numerantur, an non inferiores essent in præsentia, nisi GREGORIO iudice, ac vindice, desertor ille fidei, merita seueritatis animaduersione multatus, pœnam facto debitam retulisset, eo deturbatus gradu, quem hodie Ferdinandus Bauarus pari pietate defendit, atque constantia. De benignitate verò, seueritati suppare, nihil attinet dicere, cùm hæc insita GREGORIO à primis annis, vel potius innata fuerit. Non enim ignotum est, inter libellos supplices lectitandos, & audiendos, sæpe numero visum esse ad egenorum calamitates, & vultu, & voce, & collacrimatione commoueri, quas demum lacrimas, gemitusq. non nisi benignè, ac liberaliter faciendo consolabatur. Non possum paucioribus cuncta complecti; sed dum seueritatem, atque clementiam breuiter expedio, omittam nè debitam Pontifici vigilantiam in Pontificia ditione amplificanda, & eandem omninò parem in alienis commodis, & tutela? Illam, quia Ecclesiæ patrimonium tueri Pontifex debet, quod sine irato numine violari non potest: hanc, quia pater est omnium gentium commune perfugium, asylum æquitatis, & quietis. Dissona videntur hæc duo: pari studio suæ, atque alienæ vtilitati consulere;

consulere; sed in GREGORIO tenor vitæ consonans per omnia sibi respondet. Traditum enim ille sibi à Deo patrimonium integrum adeo, illibatumque seruauit, vt videri possit in hoc vnum curas, ac studia contulisse; seruauit ne? immò seruatum insigniter amplificauit. Nempe auctore GREGORIO subductis aliquando rationibus Pontificiæ ditionis iactura deprehensa est. Ergo proceribus restitutione præscripta ad Ecclesiæ dominatum, quasi postliminio, rediere, cum Trecentinorum foro Ciuitate quadraginta oppidorum capita fortunæ non leuis, ex quibus in Apostolicas tabulas, annis singulis, centena nummorum millia referri cœpta sunt. Et si gloriari solebat Augustus, Vrbem se reperisse latericiam, reliquisse marmoream; An non sibi etiam gratulari GREGORIVS queat, Vrbem, quam minus celebrem, & copiosam reperit, reliquisse, non tam ædificijs, ac molibus, quàm quadraginta populis ampliorem? Neque hæc (inquam) rerum suarum cura GREGORIVM continebat, quo minus, eadem alacritate Reges, & optimates, diuinæ vinculo pacis illigatos, excitaret, impelleret, inflammaret aduersus communem hostem, nefariumque christiani nominis parricidam, suas vt quisque partes tueretur, & ipse Pater omnium, omnium quoque commodis prouideret. Peccem aduersus vestram in me audiendo patientiam, Auditores, hæc si copiosius tractem; atqui si cuncta prætercam omnino, bis peccem. Date hoc igitur, vt vnum saltem, aut alterum delibem è plurimis, à quo quantum GREGORIVS de aliorum Principum, rerumque publicarum, atque eorundem Principatus incolumitate laborauerit, intelligatis. Genua peruetus, atque opulenta Respublica, suborto inter antiquas, nouasque familias graui dissidio, in aperta factionum diuortia rapiebatur, & iam publico Ciuitatis nomine ad Vrbem mittebantur oratores, qui Pontificis opem implorarent, vt luctuosissimæ seditioni, auctoritate sua, finem imponeret. Quid amabo vos, hac oblata rerum administratione splendidius Ecclesiæ esse poterat, aut ipsi GREGORIO, si gloriam quæsiuisset, gloriosius? Verum non sua ille commoda, aliorum damnis anteferebat. Igitur saluberrimi consilij magister optimus, cura Card. Morono, singularis prudentiæ viro, commendata, tumultuantium ciuiũ ingenia emollit, in omnem partem spe, metuque versat, optimis imbuit rudimentis. Quid opus est multis? beneuolentissimæ significatione charitatis teterrimam illam domesticæ seditionis caliginem dispulit, reddiditque animos quieti, & pristinæ Rempublicam libertati. Tantum est nulla vel sua, vel suorum vtilitate quæsita, parentis integerrimi nomen vbique sustinere. Neque sui dissimilis GREGORIVS fuit in altero, quod cum Vrbinatium Duce florentissimo peractum est. Vrbinates impositum vectigal, quia graue videbatur Duci Vidobaldo pendere abnuebant. Cum autem, qui Ducis partes sequebantur, adhibita etiam vi, pecuniam exigerent; ij verò Principis voluntati obfirmato animo repugnarent, comparato vtrinque exercitu, lis in medio intendebatur, non alio vtique dirimenda, quàm ferro. Res ad GREGORIVM properè defertur: Is scriptis ex templo litteris, acriter monet, Vrbinates arma deponant, initum consilium emendent Duci obedientes suo. Neque

enim posse se Ducis parti non fauere, cui vectigal huiusmodi à Superiore Pontifice indultum fuerat. Ex altera parte Ducem si resipiscant populi, ad dandam impunitatem adhortatur. Vno verbo, ad GREGORII nomen arma deponuntur, ac per obedientiam populus, perueniam Princeps, odium amore commutant: tantum GREGORIVS binis litteris, potuit, quantum, neque à populo suum erga Duces obseruantia, neque à Duce incussus etiam populo metus impetrare potuisset. Quamquam aliud hic est, quod GREGORII in Principes studium probat nō vsitatum, non vulgare. Quis enim est, qui non videat, confertissima coniuratorū manu, aduersus Ducem ad conflictum parata, atque impetu, ferociaque procurrente, si Pontifex tantum conniueat, fore, vt illum sibi dominatū tanta cum Pontificis gloria Sedes Apostolica repetat? Sed non hoc ferre potuit GREGORII Parentis optimi in Principes charitas. Ab eodem enim Duce non ita multo post interrogatus, cur tantæ sibi fuisset curæ illius temporis, casusque tranquillitas. Id responsi loco dedisse GREGORIVS perhibetur, vt inde colligeret Princeps, qui Sixtum, & Iulium olim Pontifices sibi consanguineos, & optime de se meritos habuit, habere se GREGORIVM in præsentia, nulla quidem sibi sanguinis societate coniunctum, sed qui erga Principes omnes amore, & cura cedat omnino nemini. O pectus, animumq. Parente dignissimum. O verè dignam Pontifice vigilantiam, vt nemo miretur in posterum GREGORIVM adeo Regibus, atque optimatibus clarum vixisse, cuius manu, consilioq. tuto niterentur. Vnum iam superest ex ea, quam proposui coniugatione virtutum; claudamque orationem meam, vbi postremò dixero in Pontifice suum sibi quoque locum petere adiunctam simplicitati prudentiā. Ad cuius prudentiæ normā, quantum consilia GREGORIVS sua, quantum dicta, factaq. omnia, æquis perpetuo momentis obseruatā, discreta causis, vtriusque fortunæ temporibus accommodata in vitæ consuetudinem, vsumque referret, quantumque illud, quod frequenter iterabat: maturè propera: etiam moribus exprimeret, multorum annorum periclitatione comprobatum est. Et, si prudentiæ nomine, cognitionem illam vsurpemus, qua sapientes ad vitæ Ciuilis instituta dirigantur. Profectò GREGORIVS non parum auctoritate summa, illi consuluit. Cum glossema Canonici Iuris (Decretum nominant) quòd nonnullorum vel in curia, vel malitia haberet aliqua falsò inculcata pro veris, multa perperam inuersa, plura turpiter amputata, Pontifex optimus, ipse Censor opus Regnis, Regibusque perniciosum castigauit, adhibuitque idoneam fædissimis Rerum publicarum vulneribus medicinam. Nec minori, aut eius gloriæ, aut vtilitati cæterorum fuit illa dierum supputatio, ante actis seculis expetita, à multis olim Principibus attentata, à GREGORIO demum expedita, certis, statisque solis conuersionibus, vbique, sacros, feriatosque dies celebrandi. Et sane percommode cecidit GREGORIO; vt non solum eum reliquis Romanis Pontificibus commune haberet, eius in terris personam gerere, cuius ordinatione perseuerat dies, sed etiam supra reliquos Pontifices peculiare, quod ab hoc insuper capite diuinæ similitudinis speciem, ætatum, & seculorum arbiter præseferret. Atqui si

verius

verius prudentiæ nomen accipias, quod opportunitatis est scientia idoneorum temporum ad agendum; ex amplissima terrarum vastitate, dicite Vrbes, Prouinciæ, Regna, cum vos vnus, manu, consilioque complexus GREGORIVS quicquid sincerum, quidquid castum, quicquid pium, quicquid Religioni proderat curaturus, exitus periculis obnoxios, difficultatibus impeditos, conditione dubios, aggressione formidolosos, genere magnos, numero varios, imitatione, saluberrimos, commemoratione præclaros, immortalitate dignissimos caute, celeriter, fortiter, pie, feliciter assecutus est. Et quoniam non ignorabat à Socrate, & Xenophonte eos optari Principis administros, qui prima prudentiæ laude reliquos antecellerent; considerate, si placet, quos muneris adiutores sui GREGORIVS adhibebat. Romæ Christianæ disciplinæ restaurandæ BORROMEVM iam inter sanctos adscriptum; Catholicæ rei vbiq. terrarum, promouendæ, Albertum Archiducem in Lusitaniam, Andream in Germaniam, Flauium Vrsinum, in Galliam, Columnam, Sfortiam, aliosque aliò, præter eos, quos eximiæ sanctimoniæ, & doctrinæ viros ad orbis terrarum partes, vel remotissimas destinabat: quorum prudentia, & GREGORII potissimum institutionibus effectum est, vt tot annorum spatio Christiana Respublica in altissimæ pacis otio conquieuerit. Hæc autem, quam indicaui prudentia mirum quantum laudis accepit à simplicitate ei adnexa à qua GREGORIVS felicitatis suæ duxit originem. Adeste, oro vos, Auditores, eaque, si videtur, tempora recordamini, cum ante Pontificatum Cardinalis Boncompagnus ad Philippum Secundum Hispaniarum Regem delegatus est, qui de Archiepiscopo Toletano in suspectæ Religionis causa iudicaret. Ecce tibi, Legato causam aggrediente, nonnulli vrgere, vt etiam consiliarijs, quos sibi Legatus adiunxerat in Hispania, iudicandi suffragium tribuatur. Repugnat Cardinalis, ad quem sententia pertinebat, reliqui verò tantummodo in consilium vocabantur. Rex, qui ea super re ad Pontificem scripserat, expectandam eius voluntatem esse contendebat. Inanis hic expectatio est (subdit Legatus) vbi nulla huiuscemodi facultas ab Vrbe ventura sit. Quidni, Rex instat, Pontifex si iubeat non parebis? Animaduertite hominis coram tanto Rege libertatem, sinceritatemque animi singularem. Equidem Rex optime, inquit, vel si Pontifex imperet, eius interim mentem interpretatus, non parebo. Facturum enim me operæpretium existimarem, si Pontifici ipsimet opponeret in eo, quod cum eiusdem Pontificis auctoritate, meaque cum dignitate non consentit. Rex hominem non mediocriter est admiratus (mirum est, quod non dicturus, Auditores, quodque, vti hæc Legati responsio insolitam eius integritatem, candoremque pectoris ostendit, sic Regis animum vbique compositum, & recti, æquique peramanter summopere commendet) non erat liberis hisce vocibus assuetus Rex, eorum nempe vitio, qui grata dicere, quàm vera malunt. Agnoscebat tamen, qua erat ingenij solertia, inter homines, atque imagines hominum discrimen; vno verbo, Legatum abs se maiore, quàm vnquam antea veneratione dimisit, eoque absente pro-

nunciauit

pronunciauit; felicem Christi Ecclesiam, & fortunatam fore, hunc si aliquando Pontificem nancisceretur. Et verò vt nancisceretur, iam tunc in animum induxit suum, atque vti induxerat, ad extremum voti compos effectus est. Quod quomodo non multis post annis acciderit, vt enarrem, ab Hispani Regis Aula ad Romanum Conclaue gradum faciam, qui gradus Boncompagno felicitatis humanæ fastigium fuit, idemque futurus est finis orationis meæ. Antiquum Ecclesiæ Phaliscorum ius Antistite eius mortuo, vt ad se rediret, Alexander Cardinalis Farnesius flagitaturus videbatur à Patribus, cum, Pio iam vita functo, de futuro Pontifice deliberaturi conuenissent: quam postulationem æquam, honestamque esse nonnulli confidenter asserebant. At Farnesius nihil æque veritus, quam iustam sapientium repræhensionem, Boncompagni Cardinalis amicissimi, prudentissimique capitis consilium explorauit. Hic, vt ab huiusmodi petitione desisteret, duobus præsertim nominibus persuasit, tum quod periculum foret, ne ab hac impetratione sibi aliquam inuidiam pareret, vel non nihil Cardinalem Alexandrinum afficeret, cuius Auunculus Pius ius illud redeundi denegauerat; tum ne ingratum secuturo id Pontifici videretur, cuius benignitatem occupare voluisset. Boncompagni consilio, quod animo ipsemet Alexander ante conceperat, acquieuit: hoc tamen, cum aliquibus communicatum, breui quasi per manus (vt fit) omnium sermone percrebuit. Quæritis, qua Patrum opinione, qua laudis, honorisque mercede? ea, quæ tantæ sinceritati, candori, & integritati debeatur. Cum enim Cardinales non ignorarent Boncompagnum prouidere, si qua forte inter Alexandrinum, & Farnesium oborta altercatio esset, omnia, quæ vtrique obfuissent sibi profutura, vtpote qui cæteris aliqua ratione decrescentibus, ipse cresceret, nihilo tamen minus, quod æqui rectique amator, bene mereri maluerit de amico, quàm conditionem suam meliorem facere; Hoc enim vero eorum cepit animos, hoc in sui admirationem, amoremque pertraxit. Igitur vix conclaui excipiuntur sacri Patres lecturi Pontificem, cum summum ei Imperium deferendum pronis animis, & votis consensere. Tanta difficillimi negotij festinatione, vt diuina illa Pontificis electio vnius solis ambitu breuior eueniret ei, cuius virtus iampridem sole clarior emicabat. I nunc, & Romanæ felicitatem Aulæ casui, & fortunæ, non virtutibus adscribendam puta. I, & nega supremum honorum culmen attingere quemquam posse, qui tempori non seruiat, qui politicæ calliditati non studeat, qui amici (vt aiunt) vmbram non excutiat, non laceret, non euersam velit. Quin potius, hinc addisce quàm inanes sint eorum conatus, qui virtutem vitæ Ducem non sequuntur. Etenim GREGORIVS, vt dicebam, ad summa quæque euectus, ostendit ijs artibus parari ad honores viam, quam isti, qui sibi callidi videntur, declinandam præcipiunt. Quid enim? Grati animi obligatione, vt putabat, adstrictus, familiæ Pontifici infensæ amicitiam præfert: ergo apud Pontificem gratiæ iacturam facit? Immo eandem amplificat, ab eodem nouis beneuolentiæ signis excipitur, purpura cohonestatur, & tanquam virtutis exemplar amplissimę

cæteris

cæteris hoc elogio à Pontifice proponitur. En hic, in quo non est inuentus dolus. Ecclesiasticæ immunitatis causa, cum Rege potentissimo quam vllus vnquam alius liberius agit: Ergo apud Regem grauiter offendit, aut etiam iracundè procul illinc remouetur? Immo maiore, quam antea ventratione exceptus, ab eodem palam collaudatur, magnæque molis capax, ac dignus Pont ficatu renunciatur. In dando consilio, aliena commoda suis anteponit: Ergo inconsultus rerum suarum negligens, impar honoribus irridetur? Immo Apostolici Principatus curam, eo potissimum nomine, quia æquitati posthabebat, accepit. Pontifex insigni liberalitatis amplitudine omnia videtur effundere: Ergo cuncta prodigè dissipantur? Immo singulis annis centenis aureorum millibus Ecclesiæ census augetur. Atque (vt cum primis tandem postrema conueniant) hæc illa est maximi, optimique Pontificis excellentia, cuius animum, vt singularum virtutum mediocritate composuit, ita contrariam, & inter se quasi colluctantium affectionum societate perfecit. Tanto consensu decorum reliquorum, vt GREGORIVS eodem à me gratulationis genere, quo Traianus Imperator à Caio Plinio compellari possit. Confluxere in te, Princeps, vniuersa, quæ in partes distributa singulos exornare solent. In bello quis enituit, sed obsoleuit in pace, aliquem toga, sed non arma cohonestarunt, reuerentiam ille terrore; hic amorem humanitate captauit; ille quæsitam domi gloriam, in publico; hic in publico partam, domi perdidit. Postremò rari mortales sunt, quorum virtutes nullo vitiorum confinio temerentur. At tibi tanta concordia laudum omnium, omnisque gloriæ contigit, vt fingenti, formantique Principem, ipse perfectissimæ simulacrum virtutis occurras. Cui, præter Plinianum præconium, multo nos æquius debeamus illud.

Sparguntur in omnes Claud. in laud. Stil. p. 1.
Inte mixta fluunt, & quæ diuisa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

Collegit quidem GREGORIVS, & decora virtutum omnium coacta sinu continuit, & cumulata tanquam manu comprehendit. Obiectum Macedoni per deridiculum fuit, quod si altera manu orientem, altera occidentem attingeret, nesciret tamen vbi nominis fulgorem sui conderet. At hoc serio in GREGORIVM cadit; quod ab occidentis finibus, extremas orientis oras virtute, & Christianæ Religionis propagatione peruasit. Neque tunc GREGORIVS ignorauit, vt Macedo, vbi sui fulgorem nominis collocaret, cum ad pedis osculum exceptis orientis oratoribus; eius (inquam) orientis, cui ipse per suos aperuit diem, plenus annis, & gloria, dimitti se tandem ex hac vita, sanctissimo illi seni persimilis postulauit, vtque postulauit, sic mortem optatis parem, maturus iam Cælo, securus de Immortalitate nominis impetrauit. Cuius acerbissima recordatio, à quo in hac anniuersaria mæstissimi funeris commemoratione non exigat tributa lachrymarum, aut saltem aliquem doloris sensum? Vnam ceruicem Pop. Romano optabat sæuus ille Imperator, quo facilius vno ictu posset abscindi. Vrbium ornamenta, Ciuium

commoda.

commoda, egenorum preces, artes bonæ, Religionis patrocinium, totius plane terrarum orbis clientela, vnum caput habu re GREGORIVM, hoc, vno ictu mortis absumi optabat impietas. Et poterit vnquam esse tam chari capitis desiderio modus? poterunt ad nomen GREGORII, hoc est, ad charitatis, magnificentiæ, vigilantiæ, prudentiæ, sinceritatis, clementiæ, nomen, non excitari in omnium animis totidem nomina beneuolentiæ, admirationis, cultus, doloris, pietatis?

Hor. Car. lib. 1. ad Vir.

Multis ille quidem, flebilis occidit,
Nulli flebilior, quam tibi.

SOCIETAS IESV: Quæ dum non frustra es in GREGORIVM pia, eo quamuis mortuo, geris adhuc in fronte nomen ab eodem inscriptum, RELIGIONI, AC BONIS ARTIBVS, geris in corde eiusdem, quam hic palam habes imaginem; geris in ore, hoc, quod amplissimis munita priuilegijs, ingentibusque aucta beneficijs, in hoc totius ordinis seminario, vniuerso terrarum orbi legendum proponis, tui erga Parentem optimum grati animi monumentum. Vt quamuis multa homines obijciant huic familiæ, ingratam certè nemo vnquam, vel in speciem, appellare possit.

LAVS DEO.

